



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Concilia Provincialia Mediolanensis Sex

Borromeo, Carlo

Venetiis, 1602

Cura præstandæ & exercendæ pietatis in locis publicæ curationis, ac
dominibus occlusis. Cap. XXI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62072)

simulatione consequuntur, planè restituere debent.

Quamobrem grauius peccabunt, quicumque eleemosynam accipient, illis egentibus hominibus solùm constitutam, qui aliunde certo reclusionis, aliouè præstituto tempore non habent, unde victum sibi parent: si re uera ipsi in eo paupertatis statu non sunt: nec uerò eam eleemosynam sine conscientie offensione, & labe retinere ullo modo poterunt, præsertim, si ipsius eleemosynæ curatores aliqua significatione, ratione uè præcauerint, se constituisse ijs tantum, qui ea inopia, paupertate uè præmuntur, illam distribuere.

Cura præstandæ & exercendæ pietatis in locis publicæ curationis, ac domibus occlusis. Cap. XXI.

S V M M A R I V M.

- 1 Crux } in triuijs erigenda.
- 2 Altaria } ibi.
- 3 Asseruatio sanctissimi sacramenti, & ubi.
- 4 Oratio sine intermissione.
- 5 Sacerdotibus deficientibus, quid agendum, & à quibus.
- 6 Sumptio sanctæ Eucharistiæ.
- 7 Certa Christianæ uitæ disciplina in domibus occlusis.
- 9 Oratio septies in die certis horis.
- 10 Orationis signum campanis dandum; & quomodo; & quibus in Ecclesijs.
- 11 Litanie cantandæ, recitandæ; & ubi.
Litaniarum libelli, quibus, & à quibus distribuendi. 13.
- 12 Officium beatæ virginis quando recitandum, cum publicatione indulgentiarum.
- 1 Parochorum } Studium, ut prædicta præstentur.
- 1 Sacerdotum }

IN omni triuijo crux loco decenti erigetur, ad quã orantes, & precantes spectent.



Ibidem, ad Episcopi præscriptum, altaria extruantur, in quibus Missæ sacrificium offeratur; ita ut, qui Sacerdos, etiam regularis in illis obtulerit, celebrauerit uè Episcopi iussu, satisfecisse censeatur muneri, quo astrictus est, celebrandi

in alio cuiusuis Ecclesiæ Altari.

3 In Capella domus hospitalis, locinè publicæ curationis perpetuò sanctissimum sacramentum asseruetur: cui lampas accensa præluceat.

4 In qua Capella Sacerdos, qui spirituali curationi præ est, aliquando orationem sine intermissione instituet, religiosèque atque ordine haberi studebit.

5 Vbi ob pestilentia propagationem, obitumè, vel ægritudinè Sacerdotum, defunt, qui spiritualem peste languentium, vel suspectorum curam sustineat, gerantur, vt quàm diligentissimè conquirantur, Vicarius foraneus in Diocesi Episcopum certiorè celerrimè, & sapissimè faciet, præfectus, in ciuitate: interea verò eorum curam Parochis, alijsuè Sacerdotibus probatis, qui proximè habitant, magnopere commendabit.

Idem officium præstabunt, si quando ob suspicionem pestis in Parocho, vel etiam infectionem inciderit, vt scilicet alium Sacerdotem in eius locum substituatur, qui Parochialis curæ partes necessario tempore exequatur, quas ille per suspicionem ijs, qui suspitione carent, præstare minùs potest.

Cùm nemo Sacerdos est, qui publici tuguriorum loci curationem gerat; hoc saltem curabitur, vt die festo, & in hebdomada etiam certis alijs diebus eò loci, aliquis Sacerdos Ecclesiæ, aut viciniae Parochialis Missæ sacrificium in oratorio ob eam causam extrà tuguriorum septa extructo offerat. Si verò nè id quidem fieri potest, quoniam nemo alius Sacerdos est, nisi vnus tantum Parochus, hic ipse aliquando per hebdomadam eò se conferet ad Missæ sacrum celebrandum.

Vbi in eo tuguriorum loco Sacerdotes plures sunt, tùm id curabunt, vt omnes quicumque ibi sunt, Missam spectent, audiantur; tùm ipsi ob eam causam inter se rationem inibunt, vt cùm præsertim vna tantum Capella sit, alius benè mane, alius paulò tardius Missam celebret; aut certa alia hõra commodiore id quisque præstet.

6 Præcipuè Parochus hoc valdè curabit, vt si quando, vel vniuersi ciues, vel aliqua vicinia, familiauè Parochialis domo egredi prohibentur; omnes, & singuli, antequàm se in suis quisque domicilijs per illud dierum spatium includant, peccata confessi, sacram communionem sumant. Si verò præ temporis exiguitate id tunc non præstabunt, præstent saltem eo ipso ineunte tempore, & deinceps præterea singulis hebdomadis, aut quintodecimo quoq; die, prout se illis per alias occupationes posse sacramenta ministrare viderit.

At pro curæ suæ ratione, quæ ad ægrotorum salutem spiritualia adiumenta spectant, hæc omnibus alijs anteponet.

7 Certam aliquam Christianæ vitæ normam eo tempore, cùm populus intrà domesticos parietes aliquamdiu se continet, pastoralibus litteris Episcopus commostrabit, vt quotidianas habeat pietatis Christianæ exercitationes, quibus perpetuum cursum teneat in via salutis.

Pietatis

Pietatis autem ea officia proponet patribus familias, vt non solum mane, sed vesperi, & meridie, singulisque horis ac momentis habeant spirituales exercitationes, in quibus omnis familia pie versetur.

8 Quamobrem, præter cætera, libros in singulas familias introducendos curabit, non solum eos, quos supra commemorauimus, sed sacrorum bibliorum partem aliquam, vt pote historiam Iob, libros Thobia, Epistolam sancti Iacobi, & volumen præterea de vitis sanctorum: è quibus seliget præsertim vitam sancti Sebastiani, S. Gregorij Magni, S. Rochi, S. Macarij, S. Euthichij Patriarchæ Constantinopolitani, S. Nicolai Episcopi, S. Bernardini Senensis, qui omnes pestilentie documenta, & exempla præbuerunt sanctissimarum virtutum.

9 Ad alias religiosas orationes introducet certos psalmos, & hos potissimum, nempe psalmum sextum, vigesimum quartum, trigesimalum primum, trigesimalum septimum, quinquagesimum, septuagesimum octauum, centesimum primum, centesimum item & vigesimum nonum.

Stata præterea illa oratio Parochi, & Sacerdotis, quæ in singulos dies septies certis horis adhibebitur, etiã à custodibus, & ministris instituetur in omnibus tuguriorum septis, hospitalibus ædibus, singulis familie inclusæ domicilijs, omni loco, & publicè, & priuarim.

Quæ oratio vt rectè, religiosèque peragatur, curandum est diligenter ad Episcopi præscriptum.

10 Itaque orationis huius signum in vniuersè, vel partis populi reclusionè, dabitur campanis primariæ Ecclesiæ, Collegiatarum item tam Regularium, quam Secularium, si quæ ibi sunt, dabitur. Itidem in Ecclesia Parochiali fiet, cuius viciniam homines, familiae uel aliquæ, contagionis nomine suspectæ, domi se continet.

Itidem fiet percussione paruulæ campanæ hospitalis, aut alterius loci curationis publicæ.

Signi ratio hæc seruabitur, vt distincto certo temporis spacio, nempe secunda quaque hora, aut longiori, breuioriue interuallo, prout dies contractiores, vel longiores sunt, septies in die campana pulsetur.

In initio orationis significandæ percussio campanarum fiet, vt de more fit, cum salutationis Angelicæ, quæ Aue Maria dicitur, signum datur; postea continenter per horæ quadrantem, certis campanæ actibus, breui interuallo distinctis, eiusdem significatio fiet, quæ sono terminabitur, vt oratio vespertina solet.

11 Dum verò campanis pulsatur, Itanie, supplicationes uel ad Episcopi præscriptum concinentur, recitabuntur uel; ita, vt uel è fenestris, foribus uel e diuisis ab vna parte sint, qui illas præcinent, & vicissim ab altera, qui religiosè succinant, & respondeant.

Quod licubi ita præstari non potest, intus in ædibus ipsis, loco om-

nium communi, aut, vbi optimè potest, stas illis significationis horis prætabitur.

Quam ob causã in vnaqua; vicinia, vbi hæc precatio horaria celebrabitur, vnus, pluresuè Ecclesiastici homines, aut, si tales non ad sunt, alij pij viri, orationis vsu instructi, ad fenestram, foresuè ædium adhibebuntur, qui stata quaque hora, qua significatio fiet, orationis huius institutum, atque vsam rectè, ritèque moderentur, & dirigant, & eius studium in horas ferè singulas ardentius excitabunt.

12 Curabit præterea Parochus, vt diebus saltem festis, vbi sunt, qui benè norint, de beata Maria virgine officium precum horarium stas illis septem horis distinctè recitent.

Sæpè euulgabit, atq; edicet, quò fideiũ mentes ad huius precatiois vsu, studiumque inflammet, indulgentias eo nomine concessas.

13 Ac præterea quidè, vnicuique Parocho, & Sacerdoti, breuiũ illorum librorum, quibus Epi iussu certæ preces, & litanæ eius orationis causa editæ continentur, copia fiet, & gratis aliquo modo suppeditabitur, vt Parochialibus suis, & alijs, prout vsu venerit rectè distribuat.

14 His, atque adeò alijs omnibus pietatis exercitationibus Parochus, alijsuè Sacerdotes, curationi spiritali præfecti, homines, sibi commissos, tẽpus in domibus oclusis, alijsq; locis tuguriorũ salutariter, & religiosè consumere studebunt quàm diligentissimè; vt nè otio tabelcentes procliuus prolabantur ad Dei offensiones, & ad turpia flagitia.

Cura disciplinæ morum in eisdem locis.

Cap. XXII.

S V M M A R I V M.

- 1 Cura disciplinæ morum in locis publicis, Parochis, & Sacerdotibus commendata.
- 2 Mulierum
- 3 Virginum } pudicitia, & curæ eorundem opera consulendum.
- 4 Pupillarum }
- 5 Marium à feminis separatio.
- 6 Matrimonio celebrando à Tridentini Concilij forma non recedendum: & quid ulterius cauendum.
- 7 Concubinitus suspitioni ut prospiciendum: quique ea de re per Parochum admonendi.
- 8 Morum corruptela quæcumque Sacerdotum opera tollenda.
- 9 Viri deligendi, qui morum corruptelas denuncient, & quibus.
Parochus